

accipere de manu Laici investituram Ecclesiae vel Beneficii. (72. Saeculo demum XII, abolendis reapse Investituris consentire Principes orti sunt, pactis cum S. Sede contentis, quae dicimus Concordata.

(73. Tunc itaque omnino desierunt suffragia Laicorum, relictæque Clero fuere Canonicae electiones. (74. Cleri vero nomine venit Capitulum Ecclesiae Cathedralis.

Ineunte saeculo XIV, abrogatum est jus Capitulum Cathedralium Pontificiis collationibus et reservationibus, idque frequentissimis discordiis ad supremum Judicium Sedis Apostolicae deferri solitis, ac turbis Laicorum libertatem eligentium ut plurimum opprimentibus. In Germania vero Capitula retinuerunt jus eligendi Episcopos. Sunt et Reges, quibus jus nominandi Episcopos competit.

## ARTICULUS III.

*Episcopus quoad ea quae concernunt ejus residentiam, translationem, et renunciationem.*

(1. Episcopi, etiamsi Cardinales, tenentur de Jure Divino residere in suis Episcopatibus. Colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 23, de Refor., c. 1, et tenent expresse Barbosa, de Offic. et potest. Episcop., part. 3, alleg. 53, num. 2, ubi plusquam triginta Auctores adducit, Pignatell., tom. 4, consult. 17, num. 2, ubi plusquam quadraginta Doctores pro hac sententia adducit, et ex Turriano refert Romae in quadam Congregatione habita omnes convenisse, residentiam esse de Jure Divino; Fagnan., lib. 1. Decretal., in c. Bonae memoriae 3, de Postulat. Praelat., n. 27, et lib. 3. Decretal., in c. Ex par. 3, de Clericis non residentibus, num. 28 et sequentibus, ubi solide, et late id probat. (2. Nec obstat, quod Papa super tali residentia aliquando dispenset, quod judicet residentiam personalem non esse de jure Divino, cum super ipso Ecclesia nequeat dispensare, ex cap. Sunt quidem 25, qu. 1, cap. Sicut, cum ibi notat, dist. 13. D. Thom., in 1, 2, qu. 97, art. 4, ad. 3. Non obstat, inquam, quia ex Richardo de Mediavilla, in 4, sentent. dist. 38, q. 9, art. 1, et Cardin., in cap. Cum ad Monasterium, § Abbas, num. 16, de Statu monachor., dispensatio potest capi dupliciter, primo modo pro Juris relaxatione, et secundo modo pro juris declaratione, et hoc secundo modo Papa dispensare potest super Jure Divino, videlicet illud declarando, et interpretando, ut factum fuisse constat ex cap. In omni 4, et cap. Licet 23, de Testibus et attestationibus, et notat Glossa unic. d. Sunt quidam, ubi expresse dicit, Papam dispensare in Evangelio interpretando ipsum. Papa igitur licet proprie et rigorose sumpta dispensatione pro Juris relaxatione non dispenset cum Episcopo super residentia, dispensat tamen dispensatione sumpta pro Juris declaratione, interpretando, et declarando Jus Divinum eo casu propter aliquam circumstantiam non obligare. Et sic respondet Covarr., Variar. resolut., lib. 3, c. 13.

num. 9, verb. Fateor enim, Sotus, de Justit. et jur., lib. 10, q. 3, art. 1. Vasquez, in opusc. mor. in tract., de Benefic., c. 4, § 2, dub. 1, num. 122, in fin. S. Thom., quodl. 6, art. 1. Fagnan., in cit. cap. Ex parte, n. 57, et sequent., et alii plures.

(3. Episcopus ob aliquas causas excusatur a vinculo necessariae continuitatis residendi in Diocesi; et tales causae sunt Christiana Charitas, urgens necessitas, debita Obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas; Concil. Trident., sess. 23, de Reformat., cap. 1. (4. Christiana Charitas intelligitur, quando urget proximorum utilitas, ut si aliqua Ecclesia versetur in magno periculo haeresis, et Episcopi praedicatione posset succurri, vel ob pacem Magnatum componendam, dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum, quia esset contra Ordinem Charitatis; Tolet., in Instruct. Sacerdot., lib. 5, c. 4, num. 3. Marc. Anton. Genuens., in Manual. Pastorum, c. 31, n. 3. Barbosa, loc. cit., n. 6, et alii passim. (5. Urgens necessitas intelligitur, quando Episcopus residendo grave malum vitæ incurreret, vel propter morbum, curabilem tamen, et temporaneum, vel propter aeris intemperiem ad aliquod tempus, vel propter aliquam personalem persecutionem, vel ob inimicitias, aut ob Principis et populi furorē declinandam, dummodo tamen ex tali absentia Ecclesia sua nullum patiatur detrimentum spirituale, quia v. g. Tyrannus, vel Haereticus studet nocere ovibus in spiritualibus: tunc debet potius mori, quam deserere gregem, quia bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, Joan. 10. S. Thom., 2, 2, qu. 185, art. 5. Toletus, d. c. 4, n. 3, vers. 3. Genuens., d. c. 31, n. 3. Caran., tract., de Residentia Episcoporum, cap. 12, vers. 2. Barbosa, loc. cit., num. 7. Munus enim Episcopale adeo striete obligat, ut minus aestimare debeat bonus Pastor detrimentum propriae vitæ, quam detrimentum in spiritualibus suarum ovium, quarum curam suscipit, ut egerunt S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis, et alii plures. (6. Debita Obedientia intelligitur, quando Papa propter aliquod negotium ad se vocat Episcopum. Sic Cardinales Romano Pontifici assistentes justam habent causam, ut absint ab Ecclesiis, quarum sunt Episcopi; Azorius, Institut. moral., part. 2, l. 7, c. 4, q. 4 et 7. Barbosa, loc. cit., num. 13, cum pluribus ibi citatis.

(7. Evidens Ecclesiae utilitas intelligitur, quando Episcopus abest ad defendenda jura suae Ecclesiae, vel vocatus accedit ad Concilium Generale, vel Provinciae, quamdiu scilicet durat Concilium; Communis (8. Evidens Reipublicae utilitas intelligitur, quando Episcopus abest pro utilitate suae Civitatis, aut totius Regni, ut cum mittitur Legatus ad Pontificem, aut ad Reges pro tractandis negotiis Fidei, aut pro Pace componenda, ubi non facile invenitur alius, quam Episcopus, ita dextere ea negotia tra-

ctaturus; Communis. (9. Episcopus, evidenti Reipublicae exigente utilitate, potest etiam esse Legatus, sive Orator Principis saecularis, ut habetur in cap. Cum parati, de Appellationibus, et tenet expresse Glossa, ib., verb. in Legatione, arg., cap. Si Episcopus 13, dist. 18, et cap. Salonitanae 24, dict. 63, et cum pluribus aliis Barbosa, loc. cit., num. 16. (10. Episcopus solum de licentia Summi Pontificis potest eximi a residentia sui Episcopatus, ut in Curia Regum fungatur munere et officio Regii Praesidis, Consiliiarii, Præregis, Confessarii, et hujusmodi, si ea sit hominum penuria, ut alii satis idonei minime reperiantur, qui talia officia præstare possint; Azorius, Institut. moral., part. 2, lib. 7, cap. 4, q. 6. Diana, part. 2, tract. 1, resolut. 5, in fine, et cum aliis Barbosa, loc. cit., num. 17. Unde ab Episcopis sunt attente consideranda verba undequaque Eminentissimi Cardinalis a Turrecremata in cap. Si vobis 23, qu. ultima, ibi: (11. «Turpe est, ut Episcopi se inferant ad servitia Imperatoris, vel alterius Principis saecularis, ut deferant causam subditorum, et officia devotionis. Hoc non facerent, si mortem spirituales timerent, et intelligerent se reddituros rationem de ovibus suis Deo summo Judici. Utinam etiam de Curia Romana hoc in parte observaretur, in quo plures Episcopi conveniunt, non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu propulsati, ut altiora quærant, aut beneficia addant beneficiis, aut honores honoribus, utque officia, et Legationes quærant, quæ Curæ animarum sibi commissarum afferunt plurimum impedimenti. Utinam Summi Pontifices considerarent quanta negligentia circa animas committitur ex absentia Prælatorum ab Ecclesiis suis!»

(12. Decretum factum pro Parochorum residentia quod teneantur ministrare, etiam tempore pestis et cum periculo vitæ, Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, et editum a Sacra Congregatione Concilii, 23 Septembris 1576, multo magis debet procedere in Episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, et inde providere. Sic declaravit Greg. XIII, die 18 ejusdem anni 1576, teste Fagnano, lib. 3, decret. in cap. Clericos 17, de Clericis non residentibus, num. 46 et 47. (13. Episcopus residere tenetur, licet habeat Coadjutorem, Sacra Congregat. Episcoporum, in Neapolitana, 24 Martii 1597, et in Nicoteren., 7 Septemb. 1619, etiam tempore Contagii; ead. Sac. Congreg., in Murana, 23 Julii 1602. (14. Potest Episcopus residere in qualibet parte Diocesis, modo vadat ad Cathedralē temporibus præscriptis a Sacro Conc. Trid., sess. 23, cap. 1. Sac. Congreg. Episcoporum 17 Decemb. 1649. Episcopus propter aeris intemperiem residens in aliqua parte suae Diocesis, non tamen removere debet Vicarium, et Tribunal a Civitate, ut declaravit Sac. Congr. Episcoporum, 28 Januarii 1603, die 3 Octobris 1611, die 22 Februarii 1647, et die 17 Decembris 1649. Pignatell., consult. 64, tom. 7. (15. Episcopus ex causa

mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra Diocesim ultra trimestre, maxime cum intra fines Diocesis adsunt loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo. Nec ei suffragatur prætensa consuetudo degendi extra residentiam; unde a Metropolitanano cogi potest ad residentiam, juxta dispositionem Sacri Concil. Trident., ut declaravit Sac. Congregat. Concil., sub die 18 Sept. 1683, in qua propositis dubiis:

« I. An Episcopus ex causa mali aeris, cui subjacet Civitas Episcopalis, possit in aliqua anni parte degere extra Diocesim ultra trimestre, licet intra fines Diocesis adsint loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo? Et quatenus negative?

« II. An Episcopo suffragetur prætensa consuetudo, ut supra, degendi extra residentiam? Et quatenus negative?

« III. An, et quibus mediis possit a Metropolitanano cogi ad residendum?

« Sacra Congregatio respondit: Ad primum, et secundum negative. Ad tertium servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini.»

(16. Super residentia Episcoporum edita est die 12 Decemb. 1634, ab Urbano VIII. Constitutio incipiens: Sancta Synodus, in qua multa scitu digna statuuntur, et hic, prout sunt a Fagnano in cap. Qualiter 9, de Clericis non residentibus a num. 11 ad 27, summarie transcripta, traduntur. (17. Primo igitur Sanctitas sua innovat decreta Conc. Trident., Constitutiones Apostolicas, et decreta Consistorialia super residentia Episcoporum. Multæ enim Constitut. super hoc ante prodierunt, ut Pii IV, et Pii V. Item multa decreta Consistorialia, et in specie Gregorius XIII declaravit decreta Concilii, et pœnas ejusdem habere locum etiam in S. R. E. Cardinalibus; et Clemens VIII. suo decreto Consistoriali addidit pœnam inhabitatis Episcoporum non residentium ad majores Dignitates, et ecclesias obtinendas. (18. Secundo jubet jam Præfectos Cathedralium, et majoribus Ecclesiis etiam S. R. E. Cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in Urbe existant, infra duos, si extra Urbem in Italia, si extra Italiam, infra quatuor computandos a die publicationis Bullæ. Nondum autem Præfectos, infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis. Indeque nec supradictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve, vel literas missivas sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiae, amissionis fructuum, et facultatum testandi ipso jure incurrenda, necnon privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum, aliisque pœnis arbitrio Sanctitatis suae infligendis. (19. Quoad pœnas, Pius IV, in Constitutione quæ incipit, In suprema, edita post Concilii publicationem, similiter præcipit Episcopis, ut in suis Ecclesiis personaliter residentiam sub pœna privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis suo arbitrio imponendis pœnis, et bona decedentium extra residentiam decernit tam-

quam spolia ad Cameram Apostolicam pertinere, etiamsi facultatem specialem de illis testandi obtinuerint; et poenam Interdicti ab ingressu Ecclesiae imponit in alia ejus Constitutione edita ante publicationem Concilii, quae incipit: *De salute gregis*.

(20. Tertio declarat contrafacientes non excusari a poenis praetextu servitii Imperatoris, aliorumque Principum, aut Regnorum, defensionis litium, etiam Ecclesiarum, ineundi foederis, aut alterius negotii, etiam gravissimi, speciali nota digni, distantiae locorum, brevitatis temporis expectandi licentiam ab Urbe, vel alterius causae, etiam publicae, ac pie utilitatis, vel necessitatis Ecclesiarum, vel personarum. (21. Quarto excipit causam interessentiae in Synodis Provincialibus, vel Congregationibus, seu Assembleis generalibus, quibus Ecclesiastici interesse solent ratione muneris, aut Reipublicae officii Ecclesiis adjuncti, quando tamen actu duraverint. Hanc ipsam causam exceptit Tridentinum Concilium in cit. cap. 1, sess. 23, ibi: « Nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et Reipublicae officium Episcopatus adjunctum, cujus, quoniam causae sunt notoriae, et interdum repentinae, ne eas quidem significari Metropolitanano necesse erit. » (22. Quinto declarat, S. R. E. Cardinales priores in Ordine habentes Episcopatus prope Urbem, etiamsi in illis, vel in Urbe in suis titulis residerent, non excusari a residentia in Cathedralibus, et majoribus Ecclesiis, quibus Praefecti sunt, nec ex eo quod Papa eos videat, aut toleret, et ad functiones etiam Pontificales, et solemnes admittat. (23. Sexto praecipit Auditori Camerae, ut summarie procedat adversus non residentes usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quam sibi reservavit in Consistorio. Hoc ipsum ordinavit Pius IV. Constitutione incipiente: *Cum tam Sacrosanctum*.

(24. Septimo indulget, ut existentes ultra montes abesse possint ex causa Visitationis Liminum per septem menses, et citra montes per quatuor, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant. (25. Octavo indulget Cardinalibus, Praefectis Cathedralibus, et aliis majoribus Ecclesiis, ut ex causa vacationis Sedis Apostolicae possint non solum ad locum Conclavis accedere, dummodo a Diocesis non discedant, nisi habita certa notitia mortis Pontificis, sed etiam in Urbe commorari usque ad peractam electionem, et per duos menses post Coronationem Pontificis, quo tamen tempore elapso, nisi praefati Cardinales illico, ut praefertur, ad Ecclesias praefatas, quibus praesidere eos contigerit, se contulerint, vult Pontifex quod subiaceant poenis praedictis. (26. Nono declarat eos qui pluribus Ecclesiis praesunt, excusari quidem a poenis dummodo resideant in earum altera, in qua tenentur de jure. Non tamen propterea excusari Cardinales habentes aliquem ex sex Episcopatibus prope Urbem, quin teneantur residere in aliis, quibus Praefecti sunt. (27. Ultimo statuit, ut nemo possit praedictam Constitu-

tionem interpretari, aut declarare, praeter Romanum Pontificem, et adjicit clausulas generales in formales amplissima.

(28. Episcopus aequa ex causa potest abesse a sua Ecclesia, et Diocesi singulis annis per duos, vel tres menses, sive continue, sive interrupte, absque alia Superioris approbatione, dummodo tamen id non fiat temporibus Adventus, et Quadragesimae, Nativitatis, et Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus; Concilium Tridentinum sess. 23, *de Reformat.* cap. 1, § *Quoniam*, et Communis Doctorum. (29. Episcopus abesse potest a sua Ecclesia, et Diocesi per tres menses, etiam causa animi relaxandi; Barbosa *Collectan. in Concil. Trident.* dict. sess. 23, cap. 1, num. 16. Azorius, Sanctarell. ibi citati, et alii passim. (30. Nec trimestre spatium, quo Episcopis aequa ex causa singulis annis a suis Ecclesiis abesse licet, ex decreto Concilii Tridentini dict. c. 1, sess. 23, fuit sublatum ab Urbano VIII. in cit. Constitutione incipient. *Sancta Synodus*, ut Sacra Congregatio Concilii in haec verba respondit: Die 3. Februarii 1635. requirentibus nonnullis Episcopis, Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, habito prius verbo cum Sanctissimo Domino nostro, respondit, per Constitutionem super Episcoporum, etiam S. R. E. Cardinalium residentia ab eodem S. D. N. nuper editam non fuisse sublatam facultatem ab eodem Sacro Concilio cap. 1, sess. 23, *de Ref.* concessam aequa ex causa abessendi aliquantisper a residentia, dummodo absentiae spatium duos, vel ad summum tres menses non excedat. (31. Episcopi temporibus a Conc. Trid. praescriptis; scilicet Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, tenentur quidem apud suam Cathedralium Ecclesiam residere, ita ut aliter suae obligationi non satisfaciant, nisi munia Episcopalia in sua Diocesi eos alio vocent. Caeterum non incidunt in poenas a Sancta Synodo c. 1, sess. 6, et cap. 1, sess. 23, *de Reformat.* Episcopis non residentibus inflictas. Sic decrevisse Sac. Congr. Concil. refert Fagn. l. 3, decr. in c. *Qualiter 9, de Clericis non residentibus* n. 39. Non licere tamen ipsis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa, statuit novissime Bened. XIV. Const. incip. *Ubi primum*.

(32. Episcopus, dum residet, non potest citari ad comparandum in Curia, nisi de Papae commissione. Pius IV. Constitut. incipient. *De salute Gregis*. Episcopus residens in sua Diocesi liber est a residentia suarum Dignitatum, et beneficiorum simplicium, quae obtinet in alia Diocesi, nec aliud amittit, nisi quotidianas distributiones, et alia, si quae sunt quae absentes iusta de causa non percipiunt. Sic decrevisse Sac. Congreg. Concilii refert Armend. in addit. ad recap. Legum, Navarr. lib. 2, tit. 23, l. 2, sub Rubr. *Utrum Episcopi possint se absentare a suis Episcopatibus* num. 4, et ex ipso Barbosa *Collectan. Apostolicar.* decis

verb. *Episcopus circa residentiam* num. 8. (34. Episcopus absens non gaudet beneficio alternativae, etiam quando abest ex causa a Concilio approbata. Sic decrevisse Sacram Congregat. Concilii referunt Nicol. Garcias in addit. ad suum tract. *de Benefic.* part. 5, cap. 1, num. 463. Massobr. in sua *Praxi habendi concursum* praelud. 23, dub. 3, et ex ipsis. Barbosa loc. cit. num. 9. (35. Episcopus absens a sua Diocesi ultra tempus a jure statutum, qui commonitus non redit ad residentiam, videtur habere Ecclesiam pro derelicta, et potest ea spoliari per Papam sine citatione et sententia; cap. *Qualiter 9, de Clericis non residentibus*, ubi Papa Innocent. III, dedit licentiam Canonicis Ragusinis eligendi alium Archiepiscopum, absque eo quod praecesserit formalis citatio, vel sententia privationis, ut bene observat, et tenet Abbas ibid. in tertio notabil. Fagnanus ibid. n. 4 et 6. (36. Conditio personae excusat interdum Episcopum a personali residentia, ut cum Episcopus est talis conditionis, ut melius, aut saltem aequè bene per ipsum absentem regatur Ecclesia, quam regetur per alium Episcopum praesentem; S. Thom. quodlibet 9, art. 15, ibi: « Ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequii, et possit plus servire Ecclesiae vel tantumdem absens, quam alius praesens, et si quae adsunt hujusmodi. » Et sic videmus in Germania cum sublimibus personis non raro dispensari super retentione plurium Episcopatum, non quidem principaliter, ut ex illorum fructibus se alere possint, sed ut Catholicam Religionem, expulsis haeresibus, consilio, opibus, auctoritate et potentia sartam tectam tueantur, ut observat Fagnanus lib. 1. decret. in cap. *Dudum 22, de Election.* num. 29. dicens, Principem Electorem Coloniaensem suis temporibus obtinuisse simul Archiepiscopatum Coloniae, et Episcopatum Leodiensem, Monasteriensem, Paderbonensem et Hildesheimensem, et de facto de anno 1737. Clemens Augustus Frater Ducis Bavariae erat Archiepiscopus et Elector Coloniae, et simul obtinebat Episcopatum Monasteriensem, et Paderbonensem, et Osnaburgensem, et hac ratione sex Episcopi Cardinales prope Urbem habent Romae residentiam, ut docet praxis et observat Fagnanus lib. 1. in cap. *Bonae memoriae 3, de postul. Praelator.* num. 38. in c. *Ex parte 8, de Clericis non residentibus* num. 86.

(37. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiam unius anni cum trimestri absentia anni sequentis v. g. nequit licite abesse a sua Ecclesia per menses Octobris, Novembris et Decembris anni 1737. et continuare absentiam per menses Januarii, Februarii et Martii 1738. Et ratio est, quia talis semestris absentia complectitur illius temporis spatium Dominici Adventus, et Quadragesimae, quo nedom Episcopo non licet abesse a sua Diocesi, sed ne quidem a sua Cathedrali, ut in Concil. Trident. dict. sect. 23, c. 1. vers. *Eisdem interim admonet*. Tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis, non verificatur illud verbum *Aliquan-*

*tisper*, quo utitur Concilium d. cap. 1. dum ait: « Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse. » Cum Concilium illud restringat ad duos, vel ad summum tres menses, et absentia Episcopi per sex continuos menses, ab eodem Concilio non reputetur brevis, ut patet sess. 6. c. 1. ibi: « Si quis sex mensibus continuis extra suam Diocesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni poenam ipso jure incurrat. » Sic Sacra Congregatio super residentia Episcoporum habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi die 17 Julii 1657. (38. Episcopus, qui Beatorum apostolorum Limina visitavit v. g. in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde nec Visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse. Sic eadem Sacra Congregatio. (39. Episcopo, qui antea per multum temporis v. g. per decem continuos annos in sua Ecclesia resedit, et vel ab ipsa vacatione per S. Concilium ex rationabili causa singulis annis permessa semper se abstinent, nequit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, si non adsit ulla causa ex approbata ab eodem Sacro Concilio Trident. Sic eadem Sac. Congreg. Quam Congregationis sententiam S. D. N. ad se relata in omnibus approbavit teste Fagnano lib. 3. *Decretal.* in cap. *Qualiter 9, de Cleric. non resident.* a n. 40. ad 48.

(40. Translatio Episcopi de una in aliam Ecclesiam sola auctoritate Papae fieri potest; sic expresse habetur in cap. *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1. cap. *Cum ex illo 1, cap. Inter corporalia 2, et cap. Licet in tantum 4, de Translatione Episcopi*. (41. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua Ecclesia ad aliam, carere debet utraque; cap. *Si quis Episcopus* 31. caus. 7. quaest. 1. cap. *Quanto 3, de Translatione Episcopi*. (42. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus, sive solummodo electus et confirmatus; cap. *Inter corporalia 2, et cap. Licet in tantum 4, de Translatione Episcopi*. (43. Metropolitanus, aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papae transferret, a confirmatione Episcoporum esset suspensus, textu expresso in cap. *Cum ex illo 1, de Translatione Episcopi*. (44. Causae justae transferendi Episcopum generatim sunt duae: scilicet necessitas et utilitas Ecclesiae; cap. *Mutationes* 34, caus. 7, qu. 1, ibi: « Mutationes Episcoporum, scitote, communi utilitate atque necessitate fieri licere, » cap. *Scias frater* 33, caus. et quaest. eadem, ibi: « Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis, fieri posse, quoties communis utilitas, vel necessitas persuaserit; » cap. *Quanto de Translatione Episcopi*, ibi: « Ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata. » (45. Hinc translatio facta in favorem solius translati, et maxime propter ejus ambitionem, aut avaritiam improbat expresse a Sacris Canonibus, cit. c. *Mutationes* 34, caus. 7, q. 1.

ibi: « Sed non propria cujusquam voluntate, aut dominatione... non ambitu, nec propria voluntate; » cit. cap. *Scias frater*, ibi: « Non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ. » Cap. *Episcopus* 37, caus. 7, quæst. 1, ibi: « Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat. » (46. Episcopus enim transiens ad aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere, cap. *Sicut vir* 11, et cap. *Sicut alterius* 39, caus. 7, quæst. 1, et expresse Fagnan. in cit. cap. *Quanto* 3. de *Translatione Episcop.* num. 94 et 109.

(47. Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam; c. *Cum ex illo* 1, de *Translatione Episcop.* ubi Innocent. III, sic scribit Patriarchæ Antiocheno: « Miramur quod... novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, et magnum quodammodo minorasti episcopare Archiepiscopum, immo potius de archiepiscopare præsumens; » et arg. cap. *Legimus* dist. 93, ibi: « Qui provehitur, de minore ad majus provehitur; » etc. Licet in tantum 4, de *Translatione Episc.* ibi: « Quod si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere, » et ibi Glossa 2, et Brutius, Imola, et Fagn. in cit. c. *Cum ex illo* num. 9, nam gradatim conferuntur honores, l. *Ut gradatim*, ff. de *Muner. et honor.* (48. Dictum fuit notanter regulariter, quia ob causas peculiare potest interdum fieri translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam Episcopalem, quamvis hæc non sit major altera, immo ab Ecclesia Archiepiscopali ad Episcopalem, et aliquando ob gravem causam ad subveniendum necessariæ sustentationi, etiam ab Ecclesia Episcopali fit translatio ad Parochialem, ut in c. *Pastoralis* 42, caus. 7, quæst. 1, et c. *Ad supplicationes* 9. de *Renunciation.* ubi Archiepiscopus, qui absque mortis periculo in sua Ecclesia morari non poterat, ex concessione Papæ ita descendisse legitur. (49. Archiepiscopo enim, qui ex justa causa cessit Archiepiscopatu, licite de Episcopatu vacante provideri potest, et sic fuisse judicatum per Clementem IV, refert Hostiensis in cit. c. *Cum ex illo* num. 6, et ibidem Fagnan. num. 20, quando Nelfrancus Archiepiscopus Salisburgensis cessit, et Dux Poloniæ ad eandem Ecclesiam promotus extitit, et prædicto Archiepiscopo de Episcopatu Jesionensis Ecclesiæ etiam eidem Salisburgensi subjectæ provisum fuit. (50. Secus autem si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Episcopatum Archiepiscopatu, seu priori Episcopatu locupletiore, quod est evitandum; arg. c. *Quanto* 3, de *Translatione Episcoporum.*, ibi: « Cum secundum traditiones Canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, a Cathedra repelli debet aliena, et carere propria, ut nec illis præsideat, quas per superbiam sprexit, nec illis, quas per avaritiam concupivit, » et concordat c. *Si quis Episcopus* 31, et c. *Si quis de Ordin.* 32, caus. 7, quæst. 1. Fagnanus cum multis aliis loc. cit. num. 22.

(51. Episcopus electus et confirmatus, sed nondum consecratus non potest transferri invitatus ad alium Episcopatum. Sic Hostiensis in c. final. de *Postulat. Prælatorum* num. 1, vers. *Et hoc intelligat*, Joan. Andr. ibid. n. 2, vers. *Quod intelligit, de voluntarie consecrato*, Abbas ibid. num. 11, vers. *Et hoc verum*, Fagnan. in c. *Quanto* 3, de *Translatione Episc.* n. 12, et alii passim (52. Et ratio est, quia nemo ab initio cogitur Episcopari, seu nemo potest invitatus in Episcopum consecrari; c. *Innotuit* 20, et c. *Cum inter Canonicos* 21, de *Election.* Unde satis est, quod episcopus confirmatus, et nondum consecratus, durè transferri recusat, omnino cedat Dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episcopum, ut in c. *Quoniam* 3, dist. 75, c. *Quoniam* 1, dist. 100, et c. *Inter corporalia* 2, § *Sed neque, de Translatione Episcop.* et concilio Trident. sess. 23, c. 2, de *Reformat.* ubi statuitur, quod Episcopus confirmatus ipso jure sit privatus sua Ecclesia, si intra sex menses munus consecrationis recipere neglexerit, quod satis indicat esse in sua libertate velle consecrari, vel non. Et idem docet S. Thomas in 4, dist. 23, quæst. 2, art. 1, ubi dicit, ad Episcopatum, ubi in corpus Christi mysticum accipitur potestas, requiri actum suscipientis curam Pastorem. (53. Tum quia character Sacramentalis non imprimitur præcise coacte, c. *Majores* 3, de *Baptismo* § *fin.* ibi: « Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obstentem. »

(54. Episcopus consecratus ex rationabili, et justa causa potest a Papa transferri invitatus de una in aliam Ecclesiam, cap. *Scias, frater* 35, caus. 7, q. 1, ubi Papa Pelagius sic scribit Benigno Archiepiscopo: « Scias, frater dilectissime, aliud causam necessitatis et utilitatis, aliud præsumptionis ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiæ causa, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis mutatur: nam plurimorum utilitas unius utilitati, vel voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, et aliud mutari; nam aliud est sponte transire, aliud est coacte, aut necessitate venire; unde non isti mutant Civitatem, sed mutantur, quia non sponte sed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit. » Et sic expresse tenet Glossa in c. *Omnis qui gemebat* 7, qu. 1 verb. *Coacte*, ubi dicit, Papam posse absolute Episcopum cogere, ut transeat de una ad aliam Ecclesiam; arg. c. *Per principalem* 9, quæst. 3. Idem tenet Ugo, et post eum Turrecremat. in c. *Scias, frater*, vers. *Surgit hic questio*, ubi formaliter dicit, Papam ex toto vel simpliciter absolute posse cogere Episcopum, ut ad alium locum transeat, et abrenunciet primo. Calderin. *Consil.* 56. circa finem n. 4, vers. *Fateor* quod est

primum in tit. de *Translat. Prælator.* Baldus in l. *Rescripta* num. 8. C. de *precibus impetrat. offerend.* vers. *Item omnia beneficia*, Abbas in c. ult. de *Postulat. Prælat.* n. 13, et ibi Hostiensis n. 1. Joan. Andr. n. 2. Rhedean de *Simoniac.* p. 2. c. 12. n. 6. Alexander cons. 74. n. 29. lib. 4. Decius cons. 124. Cephal. cons. 235. n. 2. Alciat. *Præsumpt.* regul. 3, præsumpt. 8. num. 3. Barbat. in tract. de *Præstant. Card.* in p. 1. sub n. 14. vers. *Et ideo*. Cined. *Canonicus* q. 2. sub n. 3. vers. *Et respectu Papæ*, et est communis opinio, prout testantur et tenent Præpositus in cit. cap. *Omnis qui gemebat* n. 1. Roman. concil. 345. num. 3. et seq. Barbosa lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 19. n. 34. Flamin. Paris. de *Resignat. benef.* lib. 3. q. 17. n. 14.

(55. Et ratio est quia licet ab initio nemo possit cogi invitatus Episcopari, seu consecrari in Episcopum, ut dictum est supra sub num. 51 ex c. *Innotuit* 20, et c. *Cum inter Canonicos* 21, de *Elect.* tamen ex quo semel consensit, potest per Papam de una ad aliam Ecclesiam etiam invitatus transferri; c. *Scias, frater* 35, caus. 7, q. 1. Una enim est Ecclesia universalis per totum orbem terrarum diffusa; c. *Loquitur* 18, caus. 24, q. 1. adeoque qui semel consensit in hac Ecclesia universali Episcopari, non potest amplius resistere Papæ ipsum transferenti ex rationabili, et justa causa de una Ecclesia particulari ad aliam, siquidem hic solummodo mutatur locus, non autem dignitas Episcopalis respectu Ecclesiæ universalis; cit. c. *Scias, frater*, ibi: « Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiæ causa, aut Dominationis, aut propriæ voluntatis, vel delectationis suæ migrat de Civitate in Civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis mutatur. » (56. Vide totum Canonem supra num. 54. Tum quia quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui Superiori transferenti non potest resistere, cum velle aut nolle non habeat; cap. *Nolo*, etc. *Non dicatis* 12, qu. 1. c. *Religiosus, de testamentis* in 6, et imputandum est illi, quod a principio consenserit se ita indissolubiler alligari; arg. l. *C. de Action. et obligat.* (57. Tum etiam quia Papa in Beneficialibus habet plenariam potestatem disponendi; cap. *Licet* 2, de *Præbend.* in 6, et Clement. 1. § *fin. Ut lite pendente*, ubi dicitur quod ad Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum « plena et libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere, » adeoque etiam de plenitudine potestatis potest Episcopum invitatum ex rationabili et justa causa transferre de una ad aliam Ecclesiam, alioquin ipsi quoad hos non competeret plena et libera dispositio.

(58. Non pauci tamen magni nominis Doctores tenent, quod Episcopus nolens consentire translationi per Papam factæ, possit quidem auctoritate Papali a vinculo prioris Ecclesiæ absolvi, idque tum in pœnam suæ obstinationis et inobedienciæ, arg. c. *Placuit* dist. 74. tum ob causam communis utilitatis, vel necessitatis. Non tamen possit omnino invitatus, et coactus alteri alligari,

seu ad aliam transferri. Ita expresse Glossa in c. *Episcopus* de loco 7, q. 1. Joan. Andr. in c. *Quod ob gratiam* num. 1. in fin. de *Regul. Juris* in 6, dicens quod Papa possit transferre Episcopum invitatum, saltem, ut careat prima Ecclesia. Sannig. lib. 1. *Decretal.* c. 3. num. 2. asserens quod, si translatus nollet consentire, nullum sequeretur conjugium spirituale inter ipsum et novam Ecclesiam; sic etiam Reiffenstuel ibid. num. 30 et 32. et late Fagn. in c. *Quanto* 3, de *Translatione Episcopi* num. 101, et seq. (59. Et ratio sua est, quia Episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur; arg. cap. *Sicut vir* 11, et c. *Sicut alterius* 39, caus. 7, q. 1. c. *Inter corporalia* 2, et c. *Licet in tantum* 4, de *Translatione Episcopi*. Ad validitatem autem spiritualis conjugii, sicut et carnalis, necessarius est consensus contrahentium, c. *Cum inter Canonicos* 21, de *Elect.* ibi: « Ut per mutuum consensum eligentium, et electi, quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum; » c. *Locum*, c. *Cum apud*, et c. *Tuæ, de Sponsalibus*, l. *Nuptias*, ff. de *Regul. Juris*, adeoque talis consensus etiam requiritur ex parte Episcopi translatis, et consequenter omnino invitatus nequit transferri ad aliam Ecclesiam, ut inter ipsum et Ecclesiam censeatur ortum vinculum conjugii spiritualis. (60. Quando Episcopus sciens et volens transfertur, prior Sedes Episcopalis vacat illico a die factæ in Curia seu Consistorio Papæ translationis. *Communis* ac certa cum Abbate Panorm. Consil. 101. num. 3. et 4. lib. 2. Rota part. 1. recent. decis. 475, num. 6. et sequent. ubi sub num. 16. ostendit opinionem illorum, qui dixerunt non induci vacationem Episcopatus, nisi post adeptam possessionem secundi, esse erroneam veluti innixam auctoritati Glossæ in c. *Si quis jam translatus* 21, d. 2. quæ loquitur de translatione abusiva, Fagn. in cit. c. *Quanto* 3, de *Translat. Episcop.* num. 99. Barbosa in *Collectaneis* ad c. 1. n. 5. de *Translat. Episc.* et lib. 1. *Juris Eccles. univers.* c. 19. num. 37, ubi refert notabilem declarationem desuper emanatam in hæc verba:

« Die 14. Decemb. 1624. (61. Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum præposita S. D. N. approbante, censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam admittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum Sede vacante, et ita posse et debere Capitulum statim ea jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Trident. Concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare. »

(62. Si transfertur Episcopus absens, et